



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 71. Vtrum Deus, ex Angelis, & hominibus aliquos ab æterno prædestinauerit, aliquos reprobauerit. Quid sit prædestinatio, quid reprobatio: vtrum sint pars prouidentiae, & quos actus includant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

illos fines intendat efficaciter, & absolute; at cum intendit finem conditionatè, si non purificetur conditio, non consequitur talem finem, sed consequitur alium finem spectantem ad bonum vniuersi. Explicatur. Diuina prouidentia per grauitatem, & motum deorsum ordinat grauia ad finem se collocandi in centro, nisi detur impedimentum. Cum igitur datur impedimentum, non consequitur hunc finem, vt lapis constituatur in centro, sed consequitur aliquem alium finem spectantem ad bonum vniuersi, quem finem intendit pro casu, pro quo grauia impediuntur peruenire ad centrum.

9. Dicendum tertio, respondendo ad quartum dubium. Diuina prouidentia potest diuidi in naturalem, & supernaturalem. Naturalis est, per quam Deus ordinat res ad suos fines naturales per media naturalia: supernaturalis est, per quam Deus ordinat res ad finem supernaturalem per media supernaturalia. Quia verò Deus vnico decreto per aliqua media naturalia ordinat quasdam res ad suos fines naturales, per alia media supernaturalia ordinat creaturas racionales ad finem supernaturalem, ideo eadem prouidentia, in quantum consideratur vt ordinans quasdam res per media naturalia ad fines naturales, vocatur prouidentia naturalis; in quantum consideratur vt ordinans creaturas racionales per media supernaturalia ad finem supernaturalem vitæ æternæ, vocatur prouidentia supernaturalis.

10. Ad 1. nego maiorem. Prouidentia est diuina ratio ordinationis temporalis rerum creaturarum ad suos fines per media conuenientia, quæ ratio est æterna, cum consistat in actibus æternis diuini intellectus, & diuinæ voluntatis. Temporalis ordinatio rerum creaturarum ad suos fines non est prouidentia, sed est effectus, & executio diuinæ prouidentia, & vocatur gubernatio. Ideo prouidentia est æterna; gubernatio autem, quæ est effectus prouidentia, est temporalis, vt docet Sanctus Thomas 1. parte quæst. 22. artic. 2. ad 2.

11. Ad 2. Prouidentia quoad ipsos actus liberos est incausata, quoad eorum applicationem liberam est abusiue causata, vt explicatum est quæst. 58.

12. Ad 3. iam dictum est num. 3. diuinam prouidentiam semper consequi suos fines absolute, & efficaciter intentos; fines autem inefficaciter, & conditionatè intentos tunc solum consequi, cum impletur conditio: cum autem conditio non impletur, consequi finem, quem intendit pro eo casu, pro quo conditio non impletur. Quia ergo Deus efficaciter, & absolute vult saluare omnes prædestinatos, semper consequitur salutem prædestinati: quia vult saluare omnes reprobos, si per ipsos non steterit, per ipsos autem stat, ipsos non saluat, sed consequitur finem, quem intendit, si per ipsos stet, nimirum bonum iusti-

tia, & alia bona, quæ sequuntur ex reproborum damnatione.

13. Ad 4. Prouidentia dum dicitur supernaturalis, non dicitur supernaturalis Deo, sed speciali modo supernaturalis creaturæ, in quantum creaturam ordinat ad finem supernaturalem per media supernaturalia.

QVAESTIO LXXI.

Vtrum Deus ex Angelis, & hominibus aliquos ab æterno prædestinauerit, aliquos reprobauerit? Quid sit prædestinatio, quid reprobatio: vtrum sit pars prouidentia, & quos actus includant?

S. Th. q. 23. a. 1. 2. & 3.

1. **P**rimò videtur Deus non prædestinasse homines, & Angelos. Deus enim licet ab æterno destinari efficaciter aliquas naturas irracionales ad consequendos suos fines, tamen non dicitur illas prædestinasse; ergo licet aliquos homines, & Angelos efficaciter destinauerit ad consequendum suum finem supernaturalem, hoc est vitam æternam, tamen non debet dici illos prædestinasse.

2. Secundò licet Deus Angelos, & homines reprobos ab æterno destinauerit efficaciter ad supplicium, & mortem æternam in pœnam demeritorum, non dicitur illos prædestinasse ad pœnam, & mortem æternam; ergo licet ab æterno aliquos Angelos, & homines destinauerit ad gloriam, & vitam æternam in præmium meritorum, non debet dici illos prædestinasse ad vitam æternam.

3. Tertio videtur Deus nullum ex hominibus, aut Angelis ab æterno reprobasse. Reprobare enim est aliquos excludere ab æterna salute, & à Regno Cœlorum; sed Deus vult omnes homines saluos fieri, vt dicitur 1. ad Timot. 2. ac proinde nullum hominem excludit ab æterna salute, & à Regno Cœlorum; ergo &c.

4. Quartò videtur prædestinatio non esse pars diuinæ prouidentia. Diuina enim prouidentia identificatur cum diuina essentia, quæ est omnino simplex, & caret partibus; ergo etiam diuina prouidentia caret partibus, ac proinde prædestinatio non potest esse pars diuinæ prouidentia.

5. Respondeo, quod cum egerimus de prouidentia, sequitur, vt agamus de prædestinatione, quæ vt iam explicabitur num. 9. est altissima pars prouidentia.

6. Prædestinatio describitur à Sancto Thoma 1. parte quæst. 23. art. 1. in corpore: *Ratio in Deo existens transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Explicatur, & simul probatur in Deo ab æterno dari prædestinationem.

E e 2

San-

Sanctorum. Ad hoc, ut aliquid perueniat ad finem, ad quem virtute suæ naturæ peruenire non potest, debet ab alio transmitti ad talem finem, eo pacto, quo quia sagitta virtute suæ naturæ peruenire non potest ad scopum, debet ad scopum transmitti à sagittario; sed creatura rationalis virtute naturæ non potest peruenire ad altissimum finem vitæ æternæ consistentem in visione immediata Dei; ergo ut perueniat ad finem vitæ æternæ, debet ad illam transmitti à Deo; sed Deus non potest in tempore res ordinare, & transmittere ad suos fines, nisi ab æterno detur in Deo ratio talis ordinis, & transmissionis; ergo in Deo ab æterno datur ratio transmissionis creaturarum rationalium, ad finem vitæ æternæ, quæ ratio vocatur prædestinatio, in quantum est æterna, & præcedens destinatio creaturarum rationalium ad altissimum, & supernaturalem finem vitæ æternæ per media, per quæ certissimè illam consequentur, quicumque consequentur.

7. Reprobatio describi potest ex doctrina Sancti Thomæ hac quæstione 23. art. 3. *æterna exclusio quarundam creaturarum rationalium à vita æterna propter demerita, propter quæ certissimè excluduntur, quicumque excluduntur.* Explicatur, & simul probatur in Deo dari ab æterno reprobationem eorum, qui excluduntur à vita æterna. De facto enim ex Hominibus, & Angelis multi excluduntur à vita æterna propter demerita; sed non possunt in tempore excludi, nisi Deus ab æterno voluerit excludere, & permittere demerita, propter quæ sunt digni tali exclusionem; ergo Deus ab æterno habet decretum excludendi aliquos à vita æterna, & permittendi demerita, propter quæ merentur talem exclusionem; sed hoc decretum excludendi est reprobatio; ergo in Deo ab æterno datur reprobatio.

8. Infertur primò, quanam possint propriè prædestinari. Dicendum, quod solæ creaturæ rationales possunt propriè prædestinari. Ratio est, quia cum prædestinatio strictè sumpta sit destinatio ad altissimum finem vitæ æternæ, illa solum strictè possunt prædestinari, quæ sunt capacia altissimi finis consistentis in visione Dei; sed solæ creaturæ rationales sunt capaces altissimi finis consistentis in visione Dei; ergo &c. Licet autem omnes creaturæ rationales sint à Deo ordinatæ ad vitam æternam, iuxta illud Apostoli prima ad Timotheum 2. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, tamen non omnes sunt prædestinatæ, quia non omnes sunt ordinatæ ad salutem per media, per quæ certissimè illam consequentur, prout requiritur ad prædestinationem. Ex proportionali ratione solæ creaturæ rationales propriè reprobantur.

9. Infertur secundò, in quo sensu prædestinatio sit pars providentiæ, ut docet S. Thomas hac quæstione 23. in fine corporis. Dicendum, quod licet ex dictis quæstione 67. nu. 18. providentiæ sit actus indivisibilis, & carens partibus, quia tamen actus providentiæ, quo Deus ordinat vniuersa ad suos fines, æquivalet pluri-

bus actibus, ideò nos ratione, & per modum concipiendi in actu providentiæ distinguimus plures actus, quos vocamus partes providentiæ, & prædestinationem, hoc est actum, quo Deus ordinat electos ad altissimum finem vitæ æternæ, vocamus altissimam partem providentiæ, siue actus, quo Deus vniuersa ordinat ad suos fines.

10. Si verò providentiæ consideretur ex parte rerum, quibus Deus providet, & quas prædestinat, res, quas prædestinat, sunt pars rerum, quibus providet. Patet. Deus enim providet omnibus rebus creatis, prædestinat autem solos electos; sed electi sunt pars inclusa in vniuersitate rerum creatarum; ergo res, quas Deus prædestinat, sunt pars rerum, quibus providet, ideoque prædestinatio, & providentiæ ex parte rerum se habent sicut pars, & totum. Ex proportionali ratione prædestinatio ex parte ordinis, & finis est pars providentiæ. Nam prædestinatio ponit ordinem electorum ad finem vitæ æternæ, providentiæ ponit ordinem omnium rerum ad suos fines; sed ordo electorum est pars totius ordinis, finis vitæ æternæ est pars totius finis; ergo &c. Addit Sanctus Thomas hac quæstione 23. art. 3. *Quod sicut Prædestinatio est pars Providentiæ respectu eorum, qui divinitus ordinantur in æternam salutem, sic reprobatio est pars Providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt.*

11. Infertur tertio, quos actus includat prædestinatio. Dicendum, quod cum prædestinatio sit destinatio ad finem vitæ æternæ per media certissima, includit intentionem efficacem dandi finem vitæ æternæ, electionem mediorum certissimorum, & rationem, siue cognitionem ordinantem prædestinatos ad finem intentum per media electa. Ad quæstionem, in qua, quæritur, vtrum talis ratio sit scientia simplicis intelligentiæ, & media, vel scientia visionis; & vtrum prædestinatio principaliter, & in recto importet actum intellectus, vel voluntatis; respondendum est proportionaliter ad ea, quæ de providentiæ diximus quæst. 67. nu. 11. & 12. Proportionaliter reprobatio cum sit æterna exclusio quorundam à vita æterna propter demerita, ut docet S. Thomas quæst. 23. art. 3. vltra actum intellectus, nimirum præscientiam demeritorum, includit voluntatem permittendi demerita, & propter illa excludendi à vita æterna. Parvuli, qui moriuntur cum peccato originali, excluduntur à vita æterna propter demeritum peccati in Adamo commissi iuxta illud Apostoli ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt.*

12. Infertur quarto præcipuum discrimen inter prædestinationem, & reprobationem esse, quod Deus per prædestinationem ita vult dare Sanctis vitam æternam propter merita, ut velit illis dare etiam merita, per quæ vitam æternam mereantur; at per reprobationem ita vult aliquos excludere à vita æterna propter demerita, ut demerita velit purè permittere.

13. Infertur quinto, quid dicendum sit de alijs

alijs descriptionibus prædestinationis. Primò celeberrima est definitio Augustini lib. de bono persecuer. cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Hanc definitionem recipiunt Prosper ad excerpta Genuensium, cap. 4. Fulgentius lib. 2. ad Monimum, cap. 1. Beda in Comm. ad Rom. 8., & communiter Scholastici cum Magistro in 1. sent. distinctione 40. Dicta porro definitio ab Augustino asseritur contra Pelagianos. Pelagiani enim dicebant Deum ab æterno prædestinasse sanctos ad salutem ex præiudicis meritis, sed negabant præparasse beneficia gratiæ, per quæ certissimè consequerentur merita, ideoque prædestinationem definiebant: *Præscientiam meritorum, & voluntatem salvandi homines propter merita.* Augustinus è conuerso postquam contra Pelagianos ostendit Deum non solum præscire merita, sed præparare voluntatem hominis per beneficia gratiæ ad merendum, definit prædestinationem: *Præscientiam, & preparationem beneficiorum Dei, quibus certissimè saluantur, quicumque saluantur.* Prima particula *præscientia* explicat actus intellectus, qui includuntur in prædestinatione. Secunda particula *preparatio* exprimit actus voluntatis, hoc est volitionem efficacem dandi dona gratiæ, & ipsa merita, & dandi æternam salutem propter merita. Idem Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum dicit: *Inter prædestinationem, & gratiam hoc interest, quod prædestinatio est gratiæ preparatio, gratia verò est ipsa donatio.* Ex hac doctrina prædestinatio describi potest: *Preparatio gratiæ, hoc est voluntas æterna dandi gratiam in tempore, per quam gratiam certissimè saluantur quicumque saluantur, & sic hæc definitio coincidit cum alia definitione.*

14. Secundò Riccardus art. 7. de libero arbitrio prædestinationem definit: *Efficax ordinatio, & dilectio electorum per media congrua ad salutem æternam.* Bellarminus lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio prædestinationem definit: *Prædestinatio est providentia Dei, qua certi homines ex massa perditionis misericorditer eruit, per infallibilia media ad vitam diriguntur æternam.* Hinc patet omnes definitiones allatas esse optimas, & coincidere cum ea, quam ex Sancto Thoma attulimus num. 6.

15. Inferitur sextò, quid dicendum sit de alijs definitionibus reprobationis. Primò Magister, quem sequuntur Scholastici in 1. dist. 40. cap. ultimo reprobationem definit dicens: *Reprobatio est præscientia iniquitatis quorundam non finiende, & preparatio damnationis eorundem.* Colligitur autem hæc definitio ex Augustino lib. de Prædest. Sanctorum, cap. 10. docente iniquorum peccata fuisse præscita, & non præparata, pœnam autem esse præparatam. Quia tamen Deus ita peccata præscit, vt etiam permittat, deberet addi in definitione, quod *Reprobatio est præscientia, & permissio iniquitatis.*

16. Secundò alij definiunt reprobationem ex Augustino de bono persecuerantiæ cap. 14. *Reprobatio est præscientia in quibusdam malitiæ non*

finiende, & preparatio pœnæ non terminande. Hæc definitio licet non habeatur apud Augustinum sub his terminis, tamen potest facillè ex ipso colligi, non solum ex loco citato, sed etiã ex lib. de Prædest. Sanctorum cap. 13. & 14. Hæc & aliæ similes definitiones sunt optimæ, & coincidunt cum allata num. 7.

17. Aduertit Bellarminus lib. 2. de gratia, & lib. arbitrio, cap. 16. reprobationem ab Augustino in Enchiridio cap. 10. vocari prædestinationem ad pœnam. Verba Augustini sunt. *Implet ipse quod vult bene viens & malis tanquam summè bonus ad eorum damnationem, quos iustè prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinavit ad gloriam.* Augustinum quoad hunc modum loquendi sequuntur plures alij Patres, quos refert Ruiz de Prædestinat. disp. 1. sect. 2. Vnus tamen obtinuit, vt non dicantur prædestinati, nisi qui ad gloriam sunt electi. Et verè in Scriptura hoc nomen non sumitur nisi in bonam partem. Reprobos Theologi vocant præscitos, quia licet hoc nomen sit commune etiam electis, cum Apostolus ad Rom. 8. dicat: *Quos præscit, & prædestinavit &c.* tamen Theologi applicarunt nomen commune ijs, quibus non conuenit nomen prædestinati.

18. Ad 1. & 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ex dictis num. 3. licet creaturæ irrationales propriè prædestinari non possint, cum non possint destinari ad altissimum finem vitæ æternæ, tamen creaturæ rationales cum possint destinari ad hunc altissimum finem, propriè possunt prædestinari. Ex eadem ratione Deus non dicitur propriè reprobos prædestinasse ad pœnam, quia destinando ad pœnam, non destinavit ad altissimum finem, sed ad priuationem altissimi finis. Adde, quod Deus per se creaturas rationales destinavit ad vitam æternam, ideoque per beneficia gratiæ præparat merita, quibus ad illam perueniant; at non per se destinavit ad pœnam æternam, sed solum per accidens, quatenus videt reprobos liberè peccando posituros impedimentum, ne consequantur vitam æternam.

19. Ad 3. distinguo maiorem: Deus vult omnes homines saluos fieri, si per ipsos non steterit, concedo; si per ipsos steterit, nego. Deus vult reprobos etiam saluare, si per ipsos non steterit; sed quia præscit per ipsos staturum, vult illos damnare propter demerita præuisa, & permissa. Non repugnat autem, quod Deus eosdem velit conditionatè saluare, si per ipsos non steterit, & absolutè non saluare, quia præscit per ipsos staturum.

20. Ad 4. Prædestinatio est pars diuinæ providentiæ formaliter, & ratione nostra, non autem realiter, cum providentia partibus careat, vt explicatum est num. 9. & 10.